

suspensos misere fallit, inanesque dimittit, denique alieni, veruntamen præstantioris, hymni particula nœnias suas commendatiores reddere conatur. Quod nemo bonus probaverit.

Thef. XV.

Minime autem omnium, abolere illos, vel ex Ecclesia eliminare, fas est.

Ex J.

§. I. **A**d hoc audendum animi hominum præparantur, siquidem de iisdem secius sentiamus, fastidium eorum præ nobis feramus, & vel piam, quæ in iis inest, simplicitatem rideamus, vel palam improbemus, & nunc hoc, nunc illud, in iisdem, vel qua metrum, vel qua sententias, desideremus. Sic enim fieri non potest, quin tandem sequatur averfatio, & contemptus.

§. II. Aperte vero abrogantur, quando eas in novis hymnorum editionibus omittimus, novas e contrario, & seculi præsentis gustui attemperatas, in eorundem locum sufficimus Sacris publicis, privatisque, iisdem prohibemus, ipsique ab iis canendis abstinemus.

§. III. Vellem igitur, in hymnario quodam, Lipsiæ impresso, optimas quasque ac præstantissimas Lutheri cantiones, etiam Symbolum Apostolicum, aliasque id genus; in *Osnabrugensi* vero saltem illas: *Erstanden ist der heilge Christ. it. Ich heb mein Augen sehnlich auff. it. Der HErr ist mein getreuer Hirt. it. Sie ist mir lieb die werthe Magd. it. Laßt uns alle frölich seyn. it. Wenn wir in höchsten Nöthen seyn. it. Valet will ich dir geben. it. Mit Fried und Freud ich fahr dahin;* imprimisque illa: *Erhalt uns, HErr, bey deinem Wort,* utut jam vetustissimæ editioni A. 1545. inserta
repe-